Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32271

Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

no per tuam industriam. Serena dixit ad curtium. Si sic uoluntas fuit non est corona uinctio. quia ego non cognosco amorem puelle iuxta filii tui consortium. Puella uero die noctuque lacrimabiliter in laude dei sui non cessat uocem psalmorum canere. sic faciebat pater eius gabinius presbiter. Hoc nunciatum est diocleciano augusto. Tunc dioclecianus augustus plurimo furore accensus. iussit maximiano ut reuocaret ad domum patris sui gabinii presbiteri dicens. Non coinquinet palatium nostrum. sed in domo patris sui ibidem ea utere. sicut desideras. et relinque eam. Eodem tempore dimisit eam. Et serena dicens. Qui liberauit famulam suam susannam potenter. liberet et te. et sit tibi auxiliator. dans tibi pacem cum gloria. Veniens autem susanna cum duabus mulieribus in domum suam intrauit. et iactans se in pauimento cepit orare dominum ihesum christum. Ipsa autem nocte ueniens ad eam maximianus. intrauit in cubiculum ubi orabat susanna. et ingressu eius apparuit angelus domini super susannam. Ille autem uidens claritatem tantam. timuit. et cursim fugit ad palatium. et non tetigit eam. et narrauit omnia patri suo diocleciano augusto. Dixit autem dioclecianus augustus. Hoc genus non est nisi magica. Et misit curtium et iussit ut in domo sua eam gestis audiret amplissime. Veniens curtius cepit magis ac magis pauere. Eodem tempore dioclecianus augustus introiuit ad serenam uxorem suam. et cepit cum ea habere altercationem de christi aduentu et de idolorum cultura. Et dum conuictus fuisset a serena. conuertit se a susanne disciplina. dicens ad serenam. Quare ita egisti ut non consentiret puella prudens et pulcherrima filio meo in coniugio. Serena dixit. Quia elegit melius quod nobis filius tuus in relatione suam enarrauit. lumen eternum. quod maximianus enarrare non tacuit. Iratus dioclecianus augustus. misit ad quendam macedonium sacrilegum paganum. cui hoc precepit dicens. Coarta eam in domo sua ut sacrificet diis tamen occulte propter mansuetudinis mee inuidiam. Veniens autem macedonius intrauit in domum eius in regione salustii. et cepit eam coartare ad sacrificandum. deferens deunculum aureum iouis. et mensam tripodam. Cum uidisset hoc susanna insufflauit et flectens genua ad dominum orauit dicens. Domine ne uideant oculi mei demonum tecas. sed consolare ancillam tuam. Tunc dixit macedonius ad eam. Erige te de terra. et adora

dominum cesaris. Erigens caput suum susanna ad celum. subito simulacrum nusquam comparuit. Tunc macedonius dixit ad eam. Cupiditas auri seduxit te. et impetum cupiditatis clare fecit te. Tamen gratias ago tibi. quia non propter amorem deorum non furasses eum. Illa autem consignans pectus suum dixit. Dominus misit angelum suum in uanam faciem meam et tulit eum ne polluerentur oculi mei. Eadem hora introiuit unus de seruis macedonii. et nunciauit iouem aureum in platea ante palatium salustii iacentem. Accensus macedonius ipse manibus suis expoliauit eam. et cepit cum fustibus cedere. Susanna autem gaudens dicebat. Gloria tibi domine. Dixit ad eam macedonius. Consule tibi et sacrifica. Illa autem consignans pectus suum dicebat. Ego deo meo me ipsam desidero sacrificium offerre. Eodem tempore macedonius renunciauit diocleciano augusto rem gestam et quomodo iouis simulacrum expulsum et confractum et in platea in puluerem redactum est. Tunc iussit dioclecianus augustus ut ibi intra domum suam iuxta domum gaii episcopi gladio puniretur. Que percussa intra domum suam reddidit spiritum. Hoc cum audisset serena augusta cum gaudio noctu ueniens collegit corpus sancte susanne martiris et sanguinem quem effuderat in eodem loco cum uelamine suo detersit. et posuit in capsa argentea in palatio suo. ubi die noctuque furtiuis uicibus orare non cessabat. Corpus autem sancte susanne ipsa manibus suis ornauit cum lintheaminibus et aromatibus et posuit iuxta corpora sanctorum in cimiterio alexandri in arenario in crypta iuxta sanctum alexandrum. iuxta ciuitatem feglinas. III. idus augusti. Natale tiburcii in cimiterio inter duos lauros. uia lauicana. Crisanti et darie ac susanne uia salaria. Ab eodem die cepit beatus gaius episcopus in eandem domum introire. ubi gladio fuerat percussa. et sacrificium domino deo suo offerre pro commemoratione beate susanne propter eo quod domus ad domum beati gabinii presbiteri iungebatur beati gaii episcopi. Ab eodem tempore iam tale signum erat christianis statio deputata duas domos. quod est usque in hodiernum diem. Sunt est autem rome in regione sexta. iuxta uicum mamurri. ante forum salustii. regnante in uniuerso mundo cum patre et spiritu sancto domino nostro ihesu christo in secula seculorum. Amen.

Passio sancti Eupli martiris. II. Id. aug.

Sub diocleciano et maximiano consulibus in catinensium ciuitate cum esset extra uelum secretarii beatus euplus proclamauit dicens. Christianus sum et pro christo

+ et tulit eum